

## ANASTASIUS II PP. († 498)

## EPISTOLA AD URSICINUM

PLS  
III, 793

\*794

2. Confitemur ergo, Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei unigenitum ante omnia quidem saecula sine principio ex Patre natum secundum deitatem, novissimis autem diebus de sancta virgine Maria eundem incarnatum et perfectum hominem ex anima rationali et corporis susceptione, homousion Patri secundum deitatem, et homousion nobis secundum humanitatem. Duarum enim naturarum perfectarum unitas facta est ineffabiliter, propter quod unum Christum, eundem Filium Dei et hominis unigenitum \* a Patre, et primogenitum ex mortuis confitemur; scientes, quod quidem coaeternus sit suo Patri secundum divinitatem, secundum quam opifex est omnium, et dignatus est post consensionem sanctae Virginis, quum dixit ad angelum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,*<sup>1</sup> ineffabiliter sibi ex ipsa aedificare templum, et statim sibi univit, quod non coaeternum de sua substantia e coelo detulit corpus, sed ex massa nostrae substantiae, hoc est ex virgine.

1382

## PELAGIUS Britannus (saec. IV-V)

## IN EPISTOLAM AD GALAT[H]AS

PLS  
I, 1273

[...] 19. *Alium autem apostolorum vidi neminem.* Ne [vel] ab aliis didicisse videretur. *Nisi Iacobum fratrem Domini.* Contra eos qui dicunt beatam Mariam alios filios habuisse, quia duos Iacobos apostolos fuisse legimus, unum Alphaei et alterum Zebedaei, neminem Mariae vel Ioseph, sed fratres Domini de propinquitate dicuntur.

1383

TRACTATUS DE DIVITIIS <sup>2</sup>PLS  
I, 1400

XI. [...]. 8. Illo etiam utuntur <sup>3</sup> exemplo, quod in beati Iohannis evangelio de matre Domini continetur: *Et suscepit illam discipulus ille in sua.*<sup>4</sup> In qua bona, inquirunt. Primum quaero, quae bona piscator in aliena provincia habere potuerit, qui nec in sua satis idoneus fuisse credendus est, etiamsi nihilum contempsisset. De sancto enim

1384

<sup>1</sup> Lc. I, 38.<sup>2</sup> Tribuitur etiam Sixto III PP. (cf. PLS I, 1104).<sup>3</sup> Divitiarum patroni.<sup>4</sup> Io. XIX, 27.